

D E F U N C T I

47 annos Missionarius in partibus septemtrionalibus Europae

In memoriam P. Henrici Deutscher

(1882-1957)

*Prov. Austriacae*



P. Henricus Deutscher ex parochia Lasan, dioec. Vratislaviensis (Breslau) oriundus anno D. 1882 natus, statui clericali a puero anhe-lans, studiis humanioribus maxima cum laude peractis anno 1903 Novitiatum Provinciae Austriacae ingressus est. Votis religiosis emis-sis, studiis philosophicis et theologicis in stu-dentatu Mautern sub egregii lectoribus incu-buit, sacerdotioque anno 1908 auctus, post duos annos in Daniam missus est, ubi totum reliquae vitae tempus acturus erat.

Collegio Odense in insula Fyn sito adscriptus ruricolis Polonis in vita christiana instituendis et conservandis fervore maximo operam dedit. Hi enim singulis annis vere ex patria ad labores agriculturae ven-titabant et autumno in patriam revertebantur; haud pauci domicilio in Dania acquisito matrimonio iuncti erant, circumdati haereticis, sacerdotibus catholicis fere destituti. Harum animarum maxime derelictarum saluti melius prospecturus P. Deutscher iam primo autumno in Polonię profectus est, ut huius linguae usum perficeret; reversus in Daniam per 26 annos nulli labori pepercit sin-gulisque annis in locis valde dissitis 85 ad 120 sacra officia peragebat, sacramenta ministrabat, pueros plurimos tum singulos tum congregatos veritatibus religiosis imbuebat, infirmos visitabat, bicyclo semper vectus. Interdum episcopus advenit ad sacramentum confirmationis administrandum, ad quod digne recipiendum P. Deutscher fideles Polonus praeparabat, v. gr. anno 1915 in ecclesia nostra Poloni non pauciores quam 250 confirmati sunt. Non raro lites componendaे, abusus tollendi erant. His in circumstantiis P. Henryk — hoc nomine appella-batur — iuste ac severe devios ad rectum ordinem reducebat. Quot milia kilo-metrorum singulis annis bicyclo vectus confecerit, Deus solus scit. Tandem anno 1933, postquam P. Deutscher iam per tres annos Superior collegii Odense fuit, currus automobilis emptus est, isque veteranus. In tot itineribus P. Deutscher

arthridem contraxerat et ex renibus laborare cooperat, haud dubie ex tot milibus horarum in bicyclo peractis; apoplexia accessit, cui nocte Pentecostes 1957 occubuit.

Iam ad eius vitam pastoralem redeamus. Vix ullus sacerdos invenietur, qui insulam Fyn tam accurate p̄vestigaverit ac P. Deutscher. Sed haec insula zelo eius apostolico non sufficiebat. Brevi operam ad insulam Jylland extendit. Frequentissime occurunt in adnotationibus nomina oppidorum illius, deinde sequuntur tridua, exercitia, missiones minores in aliis insulis. Per tres annos cum P. Steidel alternans singulis mensibus officia divina in civitate Bromölla (Svecia) obibat. Nec ullus fere annus praeterit, quin P. Deutscher in Poloniā profectus confratribus in missionibus succurreret. Horum itinerum occasione propinquos Polonorum suorum visitabat, ita ut perplurimas familias cognosceret. Rediens, singulas vel binas puellas in Daniam duxit vitae religiosae sese devoturas. Hae puellae libentissime a Sororibus S. Iosephi et Sanctae Hedwigis admittebantur, nam Sorores istae decursu annorum multas stations fundarant et novis auxiliis indigebant.

Non raro conventus cum aliis sacerdotibus linguae Polonicae peritis habiti sunt, in quibus quaestiones spinosae tractabantur, velut institutio religiosa puerorum et matrimonia mixta, quorum numerus horrende augebatur. Anno 1922 ex. gr. 78 pueri ruri, et 12 tantum in urbe numerati sunt. Ab anno 1910 ad annum 1922 matrimonia Danico-polonica 133 inita sunt, ex quibus 48 pure catholicā (pars enim haeretica ante matrimonium ad fidēm catholicā transierat), in reliquis 85 matrimonīis decem personae (vir sive uxor) conversae sunt. 75 matrimonia mixta perseveraverunt, ex quibus 5 prole caruerunt. In reliquis 70 familiis duae erant, in quibus omnes filii haeretice baptizati sunt, septem dubia manserunt quoad institutionem catholicā filiorum. Matrimonīis civilibus et haereticis et adoptionibus 30 filii et 45 adulti nonobstantibus conatibus P. Deutscher fidei catholicāe deperierunt.

Anno 1936 eius actio missionaria in Dania finita est, cum Rector collegii Hauniensis (Köbenhavn) nominatus est. Ab eo tempore actioni haud usitatae vacabat, cum ecclesia nimis angusta destructa amplior aedificanda erat, qui labor ei vix congruebat; quare haud mirum, quod aliquoties studio missionum abreptus, e domo discesserit, paucis relictis lineis, se in Poloniā profectum esse ad fratres in missionibus adiuvandos.

P. Deutscher non erat ex numero eorum qui multa verba faciunt. Erat homo taciturnus; sed pulsus et exagitatus, ut de itineribus ac laboribus apostolicis narraret, mire ac iucundissime auditoribus silentibus loquebatur.

Sed Daniâ et Poloniâ zelus eius apostolicus non continebatur: 10 annos eidem actioni in Svecia diligentissime incubuit. Contractu inito cum episcopo Erico Müller, amico nostro, ad 10 annos, P. Deutscher anno 1939 Superior hospitii Malmö nominatus est. Lingua Svecorum, licet reliquis linguis septentrionalibus similis sit, tamen studium speciale requirit. P. Deutscher eximia indole linguistica praeditus, adiutus a quodam professore emerito, linguae huius subtilitates addidicit. — Praeter linguam nativam (Germanicam) etiam Polonicam, Danicam, Gallicam, Anglicam, Italicam, Russicam, callebat. — Immo cum tempus sufficiebat, etiam Biblia hebraica arripiebat. Cum anno 1956 Hungari fugitivi in Daniam venerunt et iuxta collegium Naestved domicilia fixerunt, grammaticam Hungarianam sibi procuravit statimque studium incepit; sed nulla alia lingua maiores difficultates facessebat quam ista.

P. Deutscher non solum linguis intentus erat, sed etiam literaturae et in libris novis emendis miro saepe pollebat, nec expensis parcerat. Ephemeridibus vero plane valedixerat, et in collegio Malmö, magno cum moerore confratrum, nullae ephemerides habebantur. P. Deutscher erat homo asceticus, qui sibi vix necessaria indulgebat. Prandia sumptuosa aspernabatur, liquores alcoholicos et usum tabaci respuebat, sed herbae medicinales, ut vix alias, perspectas habebat et indefesse in itineribus collectas domi siccabat et bene ordinatas conservabat; ipse diversas species miscebat et potum ex iis confectum (theam) singulis vesperis bibebat necnon confratribus apponebat; cui diligentiae adscribendum videtur quod, non obstante renum morbo, 75 annos attigerit. Cubiculum quoque eius charactere ascetico nitebat. Nihil ibi erat praeter mensam, lectum, aliquot sedilia, scriniolum, lavatorium et scrinium vestium. Nullum folium inutile in mensa, unus alterve liber solus; librum lectum statim in bibliotheca reponebat. Nec libros paroeciales in suo cubiculo habebat, sed in refectorio in scrinio vitrato collocati erant. Cubicula, quae libris ac varia supellectile abundabant, certe ei abominationi erant. Haud mirum quod interdum in tali loco ordinem stabilire studuerit, multa ipse amoverit, immo arculas vacuas pedibus concularit. Erat vir voluntate firmissima praeditus, nihil tamen sibi requirens sed aliis serviens, pro beneficiis a se collatis gratias non postulabat, ipse vero pro beneficiis acceptis gratus semper fovebat animam.

Iucundissimum certe ei fuit, cum in Svecia actionem missionariam redintegrale potuit. Regio ibi providenda longe magis extensa erat quam in insula Fyn; nam ad 300 kilometra in longum et latum extendebatur. Primis octo annis P. Deutscher, ut ipse notavit, cotidie 45 kilometra bicyclo vectus conficiebat. In civitate Malmö erant catholici 500, ruri vero 650 dispersi; horum quoque animos sibi conciliavit. Parochio quodam teste, homines numquam obliviscentur quam paterne pauperibus ac indigentibus providerit; bello universalis secundo

finito effusa caritate fugitivorum curam habuit. Quot involucra cum cibariis et vestimentis ipse composuit et in Poloniam ac Germaniam misit! Longum est omnia loca referre, in quibus officia divina peregerit. Anno 1946 exhibentur 132; anno 1947 95 extra civitatem Malmö. Pueris scholae paroecialis in Malmö singulis hebdomadis senae horae instructionis religiosae, 21 pueris aliarum scholarum singulis hebdomadis binae horae; aliis 5 pueris extra urbem habitantibus singulis hebdomadis singulae horae dedicabantur.

Contractus cum episcopo Sveco ad decennium initus procrastinari non potuit, cum interim 4 Patres mortui essent. Quare P. Deutscher, collegio Malmö derelicto, in domum Naestved translatus est, ubi etiam per 7 annos missionibus vacare ei permisum est, e quibus per 4 superiore egit. Initio vetere bicyclo utebatur, sed id brevi impossibile redditum est. Colles erant nimii superandi et corpus P. Deutscher ingravuerat, pedes servitium negabant. Sed visitationes erant necessariae: Pastor bonus gregem cognoscere voluit. Itinera tum curru automobili peragebantur. Nomina catholicorum pro more diligenter describebantur. Catalogus singulis annis crescebat. Hic quoque frequenter ei contigit, ut catholicos investigaret, qui per annos latitaverant eosque induceret ut obligationibus religiosis satisfacerent.

Initio mensis iunii 1957 Superior Generalis, Rev.mus Pater G. Gaudreau, cum Consultore Generali P. Pohl in Vice-Provinciam de Köbenhavn se contulit. Ultimo P. Generalis domum Naestved visitavit, quem P. Superior Gallice salutavit. Finitis colloquiis P. Superior bene se habere videbatur. Sed iam altera die apoplexia correptus est. P. Generalis de morte certior factus, haec in defuncti laudem scripsit:

*Prima vice P. Deutscher vidi et cognovi. Mihi bonus sacerdos esse videbatur, animarum salutis studiosissimus, comis, magna erga Deum et Congregationem caritate inflammatus. Honori mihi duco, quod uni ex ultimis eius missis inservire poteram, quae fuit prima feria sexta mensis iunii. Modus celebrandi et verba orationum pronuntiandi, corporis habitus pius, virilis, insinuabant mihi: Hic est confrater missam celebans prout oportet. Utinam Deus, quem tot annos ei serviens dilexit, ei propitius sit! Optime factum est, quod eum in Dania obvium habui. Missam applicavi pro eius anima, ubi primum de eius obitu certior factus sum.*

P. Deutscher fuit dignus S. Alfonsi filius, qui admirationem et imitationem meretur. R.I.P.